

# Presentation Text - Genesis 2:4-25

*Students will form groups of three to conduct a 5-minute presentation on one of the biblical verse below on **25th Feb 2015**. Members in the group shall discuss the grammatical attributes and other points of interest in one of the verse, such as etymology, religious or cultural significance. Students should also submit a written note as a proof of the progress of analysis.*

+++++

4 Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum et terram,

5 et omne virgultum agri antequam orietur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram:

6 sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.

7 Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.

8 Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.

9 Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali.

10 Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.

11 Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum:

12 et aurum terræ illius optimum est; ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus.

13 Et nomen fluvii secundi Gehon; ipse est qui circumit omnem terram  
Æthiopiæ.

14 Nomen vero fluminis tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius  
autem quartus, ipse est Euphrates.

15 Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradyso voluptatis,  
ut operaretur, et custodiret illum:

16 præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comedere;

17 de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quocumque enim die  
comederis ex eo, morte morieris.

18 Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum:  
faciamus ei adjutorium simile sibi.

19 Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et  
universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea:  
omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.

20 Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia  
cæli, et omnes bestias terræ: Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.

21 Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit  
unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.

22 Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:  
et adduxit eam ad Adam.

23 Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc  
vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.

24 Quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori  
suæ: et erunt duo in carne una.

25 Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus: et non erubescabant.